



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

13. Quos Poétæ finxerint mo[n]strosæ fortitudinis viros? & de Cleomede.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

496 Cap. L. *Vniuersum Pygmæis, Gigantibus, alijsq; monstris ornati-  
ginta cubitis distaret. Quod mendacium sexaginta cubitis di-  
stat à veritate.*

XIII.

Itaque quod diuinus codex in Samfone, id profani scri-  
ptores in Hercule ostendere voluerunt, & in alijs quoque fa-  
bulis, quas de viris fortibus excogitauerant; quos finxere gi-  
gantes, vel monströsis viribus homines fuisse; vt de Sigono-  
tho, Goffredo dentato, Amadiso eiusq; fratribus, de Orlan-  
do, Rugerio, Rodomonte, Sigfrido corneo, Wolfardo, Il-  
fungo monacho, & mille alijs. Virgilius certè Turnum indu-  
xit, qui è terra saxum aded ingens sustulerit, atque in Æne-  
am vibrarit, vt

Virgil. lib. 12.  
Æneid.

*Vix illud lecti bis sex ceruice subirent,*

*Qualia nunc hominum producit corpora tellus.*

Nihil hïc dicam de Aloeo, Encelado, Tityo, Orione,  
Atlante, Antæo, Briareo, Gyge, Oromedonte; omittam  
Astneum, Ephialtem, & quos *parsu terra nefando*

Virgil. lib. 1.  
Georg.

*Caumq; Iapetumq; creat, sauumq; Typhoca,*

& reliquos *Titanas ausos rumpere imperium Iouis,*

Plutarch. in  
vit. Romuli.  
Crinit lib 15.  
cap. 3.

veris hoc argumentum historijs potest absolui: & vel in illa fo-  
la Samsonis robur exprimitur, quam Plutarchus & Crinitus  
referunt, de Cleomede Astypalæo, qui Lacchum Epidamni-  
um pugilem, armatū vnico ictu inermis occidit, occisi latera  
aperuit, & iniecta manu eduxit intestina. Ob quam ferita-  
tem, cū à iudicibus in ius vocaretur, per forum abiens, co-  
lumnā, qua ludi litterarij domus fulciebatur, disiecit, eaq;  
ruina pueros omnes adobruit. Quis hunc non dicat alterum  
Samsonem?

XIV.

Testatur Solinus, Varronem in relatione prodigiosa for-  
titudinis annotasse, Tritanum Samnitē gladiatorem natura  
fuisse, qui & rectis, & transuersis neruis, non modò crate-  
pectoris, sed & manibus cancellatis & brachijs omnes aduer-  
sarios leui tactu, ac pænè securis congressibus vicerit, eiusque  
filium militem Cn. Pompeij pari modo natū, ita spreuisse ho-  
stem prouocantem, vt inermi eum dextera & superaret, & ca-  
ptum digito vno in castra Imperatoris sui reportaret. Et quo-  
niam sermo nobis est de ijs, qui *fortes facti sunt in bello, non ta-  
cebo*

Hebr. n.